

cogitavit esse Cajum.—VI. Qui percutit in continenti clericum turpiter agentem cum uxore, matre, filia, sorore, licet actus turpes sint in sua specie imperfecti: quo casu percussus peccat quidem graviter, sed ob causam justam doloris non punitur excommunicatione, etiam in casu, quo invigilavit tali clerico (*c. 3. v. nec illa h. t.*)—VII. Magister etiam laicus correctionis causa percussus clericum discipulum, ut *tit. de cler. percussor.*, quod etiam permittitur senioribus canonicis, ut pueros minoristas divina officia turbantes moderatè percutere possint: uti et parentibus ac propinquis disciplinæ causa percussentibus (*c. 54. in fin. h. t.*), quæ dispositio non videtur extendenda ad percussorem in sacris constitutorum, nisi castigans sit Prælati aut magister (*c. 10. h. t.*)

4.º Absolvere ab excommunicatione Canonis de jure com. potest solus Papa, ut patet ex *cit. Can. si quis*. Ex speciali concessione etiam alii, ut Legatus à latere, et Nuntius apostolicus, ut dixi *tit. de off. legati*.—II. Episcopi, eorumque Vicarii ab hac excommunicatione occulta, et in casu impedimenti absolvere possunt secundum dicta hinc n. 235.: item ob percussorem levem (*c. 17. h. t.*) Quæ autem sit percussio *levis, gravis et atrocis* seu enormis, pendet à circumstantiis et arbitrio iudicis.—III. Prælati regg. pro utroque foro suos religiosos absolvere possunt sine missione ad Sedem apostolicam vel Legatum à latere (*c. 2. h. t.*), et si percussus sit religiosus alterius Ordinis, absolutio pertinet ad Prælatum percussoris: satisfactio verò utriusque Prælati consensu imponenda (*c. 32. h. t.*) Si verò clericus secularis graviter percussus sit, vel in Episcopum aut Abbatem violenta manus injecta, absolutio pertinet ad Papam; *ibid.* Si levis fuit percussio, absolvit Episcopus religiosum non exemptum; imò et exemptum de consensu Prælati (*c. 21. cod. in 6.*): alioquin si Prælati ex justa causa neget hanc absolutionem exempti, absolutio pertinet ad Papam. Hodie Prælati regg. ex specialibus privilegiis suos religiosos absolvere possunt à percussione etiam enormi, dummodò Episcopus aut clericus secularis non sit graviter percussus.

5.º Confessarii regg. in privilegiis communicantes in foro conscientie absolvere possunt à percussione quacumque etiam enormi, dummodò sit occulta: et quidem, sine onere præsentandi se conspectui apostolico; nam *c. 13. et 58. h. t.* statuit onus istud imponi ab iis, qui non habent privilegium absolvendi, sed tantum in casu impedimenti absolvunt.

§. III.

De Censura Suspensionis.

245. *Suspensio* est: censura ecclesiastica privans clericum per se et directè usu officii, beneficii vel utriusque simul. Differt ab *excom-*

municatione, quia hæc privat omnibus bonis spiritualibus et politicis externis, fertur in clericos et laicos, et non per se, sed consecutivè privat usu ordinum, in quantum impedit Sacramentorum administrationem: econtrà suspensio non privat omnibus bonis; fertur in solos clericos et directè impedit usum ordinum, licet ipso ordine suscipiendo non privet, nisi consecutivè. Differt etiam ab *interdicto*, quia hoc privat receptione aliquorum Sacramentorum, divinis officiis et sepultura ecclesiastica; et in laicos ferri potest: secus est in suspensione. Est autem suspensio alia *partialis*, quæ privat usu ordinis tantum, vel officii seu jurisdictionis, vel beneficii seu administrationis quoad fructus: alia *totalis*, quæ his omnibus privat. Item alia à *jure*, alia ab *homine* lata, alia *absoluta* sine determinatione temporis, alia *restricta* ad certum tempus, alia per modum *veræ censure*, alia per modum *pænæ vindictivæ* aut inhabilitatis, sicut *c. 14. de temporib. ord. c. 1. de ordinat. ab Episcop.* etc.

246. *Quis, et in quem ferre possit censuram suspensionis?*

R. 1.º Solus clericus, et in solum clericum Ecclesiæ subditum ferre suspensionem potest; et quidem suspensionem *juris*, qui jus potest condere: suspensionem *hominis*, qui clericum judicare et contumacem punire potest. Dicitur *subditum*, quia Papa nullius censure est capax.—2.º Episcopus sine consensu capituli suspensionem hominis, seu sententiam judicialiter suspensivam ferre potest; nam talis viget consuetudo, qua abrogatur *c. 1. de excessib. Prælat.*, et *can. 6. Episcopus 15. q.*—3.º Prælati regulares in tantum suspendere possunt suos religiosos, in quantum eis regula permittit.

247. Q. II. *Qua forma feratur suspensio ab homine?*

R. 1.º Adesse debet culpa gravis, et simul contumacia, prævia monitio triplex, et ipsa sententia suspensionis in scriptis concipi cum expressa causa, sicut de excommunicatione dictum ex *c. 1. 5. 13. h. t. in 6.*; alioquin si hæc forma, licet accidentaliter non observetur, iudex per mensem ab ingressu Ecclesiæ et divinis officiis suspenditur, et ad expensas suspensio condemnatur (*cit. c. 1. h. t. in 6.*)—2.º Si suspensio fertur per modum pænæ vindictivæ, præter delictum grave, non requiritur contumacia et monitio, sed probato delicto, suspensio per sententiam infligitur sicut alia pænæ vindictiva (*c. 7. et 44. de elect., c. 2. de offic. deleg. in 6. et alibi.*)

248. Q. III. *Qui sint effectus suspensionis?*

R. 1.º Pro varietate hujus censure sunt varii:—1. Suspensus ab ordine non censetur suspensus à jurisdictione, et suspensus ab ordine inferiori exercere potest actus ordinis superioris, nisi in his concurreret actus ordinis inferioris: qualiter suspensus à diaconatu, non potest missam legere, quia in ea concurrunt actus ordinis diaconalis, scilicet legere Evangelium: ceteros verò actus Sacerdotii exercere potest, ut prædicare, absolvere etc.—II. Suspensus ab officio simpliciter, censetur suspensus ab omni actu ordinis et jurisdictionis: quia hoc utrumque venit nomine officii: non tamen est suspensus à beneficio seu per-

ceptione fructuum, neque à voce activa in capitulo; cum hæ suspensiones sint diversæ, et suffragari in capitulo nec sit actus ordinis, nec jurisdictionis, licet aliqui contrarium teneant.—III. Suspensus à jurisdictione sola, non est suspensus ab ordine et beneficio, cum hæ sint diversa.—IV. Suspensus à beneficio exercere potest officium: neque beneficio, sed tantum fructibus privatur; quorum nomine non veniunt distributiones quotidianæ, neque electio aut præsentatio, quæ ex officio oriuntur, licet dicantur improprie fructus beneficii. Porro si suspensio à beneficio est censura ob contumaciam, beneficiatus privatur fructibus etiam necessariis ad sustentationem: non verò si est pœna vindicativa; quia illam, et non istam tollere est in potestate suspensi.

2.º Violans suspensionem, præter peccatum mortale, incurrit irregularitatem, exercendo actum ordinis (c. 1. in fin. h. t. in 6.) Hæc tamen irregularitas non incurritur, si clericus violet suspensionem jurisdictionis vel beneficii; sed tunc aliter puniendus est, ut privatione beneficii (c. 1. §. fin. de elect. in 6.) Porro suspensus à jurisdictione, invalidè illam exercet; dummodò sit denunciatus personaliter, secundum Decretum Conc. Constantiensis.

249. Q. IV. Quomodo tolli possit suspensio?

R. 1. Si suspensio est censura, tollitur per absolutionem iis modis, quibus excommunicatio. Formula absolvendi est: *Ego te absolvo à vinculo suspensionis, quam incurristi ob talem, vel talem causam* etc.: in dubio datur absolutio ad cautelam: *si teneris vinculo suspensionis, absolvo te.*—2.º Si suspensio, est pœna vindicativa delicti, non tollitur nisi per relaxationem seu dispensationem ejus, qui eam tulit, aut qui eadem potestate pollet; nisi ad certum tempus lata fuisset, tunc enim, eo lapso, ex voluntate ferentis expirat.—3.º Si suspensio à jure lata est absque temporis determinatione, poterit ab Episcopo relaxari, nam talis suspensio non censetur esse pœna perpetua, ut existimant Abb., Sylv., Nav. etc.: nam pœnæ perpetuæ addi solet clausula *in perpetuum*, quæ aliàs superflueret; ergò censetur esse temporalis: et si reservata non est, tolli potest per Episcopum vel alium privilegiatum: qualiter pro tollendis occultis suspensionibus plerique Regulares privilegiati sunt, sicut Episcopus vi Trid. sess. 24. c. 6. de reform. Alii verò Sacerdotes non privilegiati, non possunt absolvere à tali censura in pœnam delicti lata; cum absolutio illius non sit necessaria ad absolutionem à peccatis, sicut absolutio ab excommunicatione, quæ præcedere debet absolutionem à peccatis.

§. IV.

De Censura Interdicti.

250. Interdictum in h. t. est: *Censura ecclesiastica privans usu divinorum inter fideles*, putà participatione divinorum officiorum, quorundam Sacramentorum et sacra sepultura. Differt ab excommunicatione; quia hæc privat pluribus bonis spiritualibus et politicis, solosque homines fideles afficit: econtrà interdictum privat paucioribus bonis spiritualibus, nullis politicis; et loca etiam sacra afficere potest. Differentia interdicti à suspensione priori §. insinuata est. Dividitur interdictum:—1.º In *personale*, quod directè afficit personam, ne divinis uti valeat: *locale*, quod directè afficit locum, ne in eo divina celebrari possint: et *mixtum*, quod et personas, et loca afficit, et privat divinis.—2.º In *generale et speciale*. *Generale locale* est, quo plura loca simul afficiuntur, ut totum regnum, civitas, parochia. *Generale personale*, quo tota communitas hominum afficitur: ut omnes incolæ regni, civitatis, monasterii. *Speciale personale* est, quo una, vel altera persona singularis afficitur etiam indeterminata, v. g. qui furtum commiserit, subjaceat interdicto. *Speciale locale* est, quo unus locus determinatus afficitur; ut hæc Ecclesia.—3.º *Personale*, vel est *totale* quoad omnes effectus interdicti, vel *partiale* quoad unum vel alterum effectum; ut si quis interdicatur ab ingressu Ecclesiæ, vel à celebratione Missæ etc.

251. Q. I. Qui ferre possint Interdictum?

R. Qui excommunicare aut suspendere, seu qui habent jurisdictionem in foro externo, ut Papa, Episcopus etiam sine consensu capituli; de hodierna consuetudine, Legati apostolici, capitulum, sede vacante etc. Prælati regulares personas quidem interdicere possunt; sed non loca ob receptam consuetudinem.

252. Q. II. In quem, ex qua causa, et qua forma feratur Interdictum?

R. 1.º Subjectum interdicti personalis est homo fidelis, vel aliqua communitas: et interdicti localis est locus sacer jurisdictioni interdicentis subjectus.—2.º Causa illud ferendi est culpa mortalis cum contumacia: et quamvis personale speciale ferri possit ob debitum personæ, non tamen ob debita pecuniaria ferri potest interdictum generale, sive locale, sive personale absque consensu Papæ: imò nec locale speciale: *Extrav. 2. h. t. int. com.* confirmata à Clem. VII. Constit. *Licet ea* 9. Kal. Jun. 1530.—3.º Forma ordinaria, qua fertur interdictum sub ratione censura est, ut præcedat monitio competens, et sententia interdicti concepiatur in scriptis, ut dictum a. 233. Si verò

interdictum personale speciale feratur sub ratione pœnæ vindicativæ, non requiritur ista solemnitas, sed sufficit ordinaria et consueta in iudicio criminali. Interdicta generalia, præsertim localia non solent ferri sub ratione pœnæ vindicativæ, sed censuræ, quia graviora sunt, et multis bonis spiritualibus privant.

253. Q. III. *Qui sint effectus Interdicti?*

R. I. Quatuor præcipui:—I. Privatio activi et passivi usus sacramentorum (*c. 43. h. t., c. 16. eod. in 6.*)—II. Privatio activi usus divinatorum officiorum (*c. 57 h. t.*)—III. Privatio activæ et passivæ sepulturæ sacræ (*c. 11. de pœnit. et remiss. c. 3. §. quodsi de privil.*)—IV. Privatio ab ingressu Ecclesiæ (*c. 20. h. t. in 6.*); sed effectus iste non sequitur ex natura interdicti, nisi specialiter exprimatur.

2.^o Tempore interdicti conferri potest:—I. Sacramentum *baptismi et confirmationis*, etiam solemniter pro adultis (*c. 19. h. t. in 6.*)—II. Sacramentum *pœnitentiæ* non solum moribundis, sed quibuscumque, dummodò pœnitentes non dederint causam interdicto: alioquin prius satisfacere debent, vel de satisfaciendo cautionem præstare idoneam, saltèm juratoriam (*c. 24. alma mater h. t. in 6.*) Quibus iuribus ampliatur jura antiquiora, quæ tempora interdicti concedebant baptismum tantùm pro parvulis, et pœnitentiam pro morientibus (*c. 11. de sponsalibus c. 11. de pœnit.*) Dari autem potest absolutio à generaliter interdicto: si verò daretur à specialiter interdicto, valeret, cùm interdicto jurisdictionem non tollat.—III. *Eucharistia, extrema Unctio et Ordo* regulariter administrari non possunt tempore interdicti (*citat. cap. alma.*) Eucharistia tamen in articulo mortis infirmis, prægnantibus et præliantibus conferri potest; *ibid.*: item in loco non interdicto ordinari possunt personæ generaliter interdictæ (*arg. c. 43. h. t.*)—IV. Personæ generaliter interdictæ contrahere possunt matrimonium, etiam in loco interdicto, ut probabilius tenent Abb., Covar. et alii contra Suar., Bonac. Nam matrimonium, quod principaliter est contractus, neque à clericis ministratur, licèt expressè non excipiatur, tamen ex notoria consuetudine numquam censetur comprehendi sub iuribus, quæ tempore interdicti prohibent ministrationem sacramentorum; ergò sicut alii contractus, ità et matrimonium celebrari valet tempore interdicti etiam in loco interdicto. Si verò personæ sunt specialiter interdictæ, per accidens ratione censuræ et contumaciæ, quæ obicem ponit gratiæ, licèt non contrahunt matrimonium. At benedictio nuptiarum prohibita est tempore interdicti (Navar., et alii contra Rosell.); nam benedictio ista fieri debet à sacerdote; ergò est prohibita, ut mox dicetur, cùm per se non sit necessaria ad nuptias; sicut confectio chrismatis ad confirmationem.

3.^o Nomine *divinorum officiorum*, quæ tempore interdicti exerceri prohibentur, veniunt ea omnia, quæ à clericis ex institutione Christi aut Ecclesiæ fieri solent: ut missa, benedictio olei, fontis baptismalis, ramorum, cereorum, nuptiarum, Ecclesiarum, vasorum et paramentorum ecclesiasticorum etc., solemnitas et publica recitatio horarum ca-

non., officii B. V. psalmodiarum, litaniarum etc. Econtrà licèt fiunt, concio ad populum instruendum, benedictio mensæ, privata adoratio Crucis die veneris sacro, modò omittantur cæremoniæ à clericis usitatae, privata recitatio breviarii: imò per *c. 11. de pœnitent.* Clerici bini vel terni legere possunt horas canon. in Ecclesia, non tamen cantare.

4.^o Stante interdicto locali generali, nullus laicus etiam infans sepeliri potest in loco sacro (*c. 11. de pœnit.*); nam licèt mortuus non ligetur interdicto, ligantur tamen viventes, ne ei sepulturam sacram concedant, donec cesset interdictum; et tunc cadavera fidelium à loco profano exhumanda, et in sacro sepelienda sunt.—II. Interdicti personaliter, sive generaliter, sive specialiter, modò sint publicè denunciati, etiam clerici, vel si interdicto causam dederint, privantur sepultura sacra (*c. 8. de priv. in 6. Clem. 1. de sepult.*)

5.^o Interdictus ab ingressu Ecclesiæ non potest Ecclesiam ingredi formaliter, et cum effectu, ut ibi divina celebret vel audiat, vel sepeliatur in loco sacro (*c. 20. h. t. in 6.*): quo sensu procedit *Can. 15. latorum 33. q. 2.*, ubi matricida privatur oratione in templo, scilicet publica, et quando divina celebrantur. Violator hujus interdicti per exercitium ordinis fit irregularis, sicut violans suspensionem (*cit. c. 20.*) Econtrà interdictus potest privatim Ecclesiam ingredi, ibi preces fundere, item missam in oratorio privato auctoritate Episcopi non erecto, vel in ipso cœmeterio celebrare vel audire, modò non sit specialiter interdictus: et probabilius in ipsa Ecclesia sacramenta percipere, cùm receptio sacramentorum non reperiatur prohibita in *c. 48. h. t. c. 20. eod. in 6.*, nisi per accidens pro eo tempore, quo in divina Ecclesia celebrantur.

254. Q. IV. *Quid ratione privilegii liceat tempore interdicti?*

R. 1.^o Ex privilegio *c. alma 24. h. t. in 6.*, licet divina officia celebrare in natali Domini, in Pascha, Pentecoste, Assumptione B. V. et per Const. Martini V. *Ineffabile*, Eugenii IV. *Excellentissimum* in festo Corporis Christi per totam octavam; quibus diebus etiam fideles, specialiter non interdicti, et qui interdicto causam non dederunt, Eucharistia refici possunt, cùm concedatur non præcisè *assistere*, sed *participare*. Hoc privilegium non videtur extendi ad sepulturam sacram pro iisdem diebus; quia privatio sacræ sepulturæ est effectus longè alius à privatione div. officiorum; ergò dispensatis div. officiis, non censetur dispensari sepultura sacra.

2.^o Ex privilegio ejusdem *c. alma mater*, tempore interdicti generalis, sive localis, sive personalis in quibuscumque Ecclesiis et monasteriis missæ et alia divina officia singulis diebus peragi possunt, servatis conditionibus ibi præscriptis; ut missa fiat submissa voce, januis clausis, non perforatis, sine pulsu campanarum, etiam minoris campanulæ ad *Sanctus*, exclusis excommunicatis et specialiter interdictis, præsentibus solis clericis, hoc est, personis ecclesiasticis utriusque sexus, non verò laicis; cùm textus loquatur de solis clericis. At in Ec-

clesia specialiter interdicta tantum semel in hebdomada missa celebrari potest pro conficiendo Viatico secundum jus antiquum (c. 47. h. t.): non vero singulis diebus, arg. c. 25. de privil., ubi privilegium singulis diebus celebrandi conceditur Episcopis pro tempore interdicti localis generalis, et ab Episcopis extenditur ad clericos per cit. capit. alma; ergo hoc privilegium non habet locum in interdicto locali speciali.

3.^o Ex privilegio c. 11. quod in te, de pœnit. et remiss., Clerici seu ecclesiastici utriusque sexus, qui interdictum servaverunt, et causam ei non dederunt, nec specialiter sunt interdicti, sine pulsu campanarum, cessantibus omnibus solemnitatibus, sepeliuntur in cœmeterio Ecclesiæ seu loco sacro, aut crypta sepulturæ fidelium destinata. Quamvis autem Sayr., Suar. et alii dicant quoscumque clericos sepeliri posse in Ecclesia specialiter interdicta; alii tamen id asserunt de clericis ejusdem Ecclesiæ; cum alii sepeliri possint in Ecclesiis specialiter non interdictis.

4.^o Regulares ex privilegio antiquo, cujus meminit c. 11. de pœnit., tempore generalis interdicti possunt januis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, suppressa voce celebrare divina; non tamen laicos admittere, etiam familiares alicujus conventus seu collegii (c. 11. de privil.) Dicunt tamen Salmantic. tr. 10. de cens. cap. 6. punct. 5. n. 63., Alexandrum IV. et Eugen. IV. concessisse, ut admitti possint famuli, operarii, æconomi, syndici, procuratores, tertiarii et beati; et Clem. VII. id concessit pro Confratribus Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo utriusque sexus, modo non sint excommunicati, aut specialiter interdicti. An vero Regulares suspendere possint interdictum in festivitatibus suorum Sanctorum, Circumcisionis, Epiphaniæ, in 4 principalibus B. Virg., Apostolorum, SS. Trinitatis, S. Joan. Bapt., omnium Sanctor., in die defunctorum, et dum Regularis professionem aut primam missam facit, prout eis conceditur in Bulla Leonis X. 34. et 38. apud Rodrig. in Bullar. merito dubitatur. Negat cum aliis Anton. à Spir. Sanct. hoc privilegium revocatum fuisse à Trid., cum ei non contradicat; sed Navar., Garcias et alii dicunt esse revocatum à Trident., ut fertur declarasse S. Congregatio.—II. Regulares in privilegiis communicantes tempore interdicti possunt recipere S. Eucharistiam et extremam unctionem, et mortuos sepelire in suis cryptis, ut passim videre est in Compend. Privil. Minor. et Societ. Jesu v. interdictum.

255. Q. V. Ad quæ loca aut personas se extendant interdicta generalia localia et personalia?

R. 1.^o Pro interdicto locali sequentes tradi regulas:—I. Interdicta terra domini, censentur interdicta omnia loca, pleno et absoluto dominio ei subjecta, etsi vendantur; quia cum interdicto transeunt; non tamen illa loca, in quibus dominus tantum jurisdictionem habet, vel usufructum, emphyteusim aut feudum, nisi aliud exprimat. — II. Interdicta diœcesi aut civitate episcopali, etiam censentur interdicta

Ecclesia cathedralis (c. 17. h. t. in 6.), ne vis interdicti generalis eludatur: unde non est hic locus argumento ex c. 4. de præb. in 6. petito.—III. Interdicta Ecclesia principali, etiam interdicuntur capellæ illius et cœmeterium, tanquam quid accessorium (cit. c. 17.), sed interdicto cœmeterio vel capella, non censetur Ecclesia principalis interdicta.—IV. Interdicta civitate, etiam interdicuntur suburbia et ædificia continentia, seu non procul distantia, etiamsi sint alterius diœcesis et jurisdictionis (cit. c. 17.), quod speciale est contra c. fin. de Const. in 6. et reg. odia in 6., ne vis interdicti eludatur, cum incolæ civitatis faciliè ad vicina loca egredi, et ibi divina audire possent.—V. Interdicta generalia localia tenentur observare seculares et Regulares etiam exempti, incolæ et exteri (c. 4. 10. de priv. in 6., Trid. sess. 25. c. 12. de regg.); et qui interdicto causam dederunt, semper et ubique censentur personaliter interdicti, ut in loco etiam non interdicto divinis operari, vel interesse nequeant (c. 16. h. t. in 6.): illi vero, qui interdicto generali locali causam non dederunt, alibi divinis interesse valent. Hinc interdictum locale respectu ejus, qui ei causam dedit, vocari solet *deambulatorium*, quia sequitur personam ad quæcumque loca venientem.

2.^o Pro interdicto personali generali has tradi regulas:—I. Interdicta universitate, v. g. civitate, collegio, monasterio, censentur interdicta omnia membra seu omnes illius personæ, etiam absentes vel in suburbiis habitantes, aut post interdictum incorporatæ, etiam Duces, Marchiones et alii Domini, nisi diversæ jurisdictionis essent, aut speciali privilegio exempti (c. 16. h. t. in 6.): non tamen exteri et peregrini, ut mercatores, studiosi, quia propriè non sunt pars populi: et probabilius nec illi, qui duplex domicilium habent, cum non sit ratio, cur potius sint pars populi interdicti, quam non interdicti.—II. Interdicto clero, non censetur populus interdictus, nec e contra: nec Ecclesiæ aut loca sacra (c. 16. h. t. in 6.), adedque alii clerici populo divina facere possunt. Neque sub interdicto cleri venit Episcopus, nisi exprimat (c. 4. h. t. in 6.); neque Regulares, qui in odiosis non veniunt nomine clericorum: secus interdictum latum est in personas ecclesiasticas; quia Regulares sunt propriè personæ ecclesiasticæ.

256. Q. VI. Quæ sit obligatio servandi interdictum, et pœna illud violantium?

R. 1.^o Obligatio ista per se est gravis sub mortali, nisi parvitas materiæ excuset; ut si quis per unum versiculum divinis officiis interesset. Hi tamen, qui censurati non sunt, non tenentur vitare, personaliter interdictum, nisi interdictum publicè denunciatum sit juxtà decr. Conc. Const. *Ad evitanda*.

2.^o Si laici violent interdictum, pœna est arbitraria, exceptis casibus Clem. h. t. expressis, si compellant clericos in loco interdicto celebrare, si ad audienda divina aliquos convocent, præsertim excommunicatos aut interdictos, si prohibeant excommunicatos aut interdictos monitos à celebrantibus exire, si ipsi excommunicati aut interdicti

moniti exire, remanere præsumant: tunc enim excommunicationem latæ sententiæ Papæ reservatam incurrunt per *cit. Clem.*

3.º Clericus violans interdictum personale, sive generale, sive speciale, per exercitium ordinis, vel scienter celebrans in loco interdicto, fit irregularis: et si hoc interdicto durante decedat, privatur sacra sepultura (*c. 18. et 20. h. t. in 6.*) At si clericus non interdictus celebret in loco non interdicto, et admittat interdictos, tantum incurrit censuram interdicti ab ingressu Ecclesiæ, donec satisfaciatur ei, cujus censuram contempsit (*c. 8. de privil. in 6.*)—II. Clericus violator interdicti localis privatur voce activa et passiva (*cit. c. 18. in fin.*), et per sententiam suspendi debet ab officio et beneficio (*c. fin. de excess. prælat.*): non tamen privari officio et beneficio; nam privatio ista, de qua loquitur prior pars decretalis, procedit in casu illo speciali, quo Episcopus tulit sententiam notoriè injustam, et alios compulsi ad violationem interdicti apostolici.—III. Sepeliens aliquem non privilegiatum in loco interdicto, vel interdictum denunciatum in loco non interdicto, incurrit excommunicationem ipso facto, à qua non est absolvendus, donec ad arbitrium diocæsanis satisfaciatur (*Clem. 1. de sepult.*)

257. Q. VII. *Quomodo tollatur interdictum?*

R. 1.º Si latum est absolute per sententiam, relaxari potest per absolutionem vel dispensationem ejus, qui illud tulit aut similem potestatem habet: si verò latum est pro tempore determinato, vel sub conditione, his evenientibus, cessat absque illa nova absolutione.—2.º Interdictum locale, sive generale, sive speciale, et interdictum generale personale non potest relaxari, nisi ab habente jurisdictionem in talem locum aut populum: non verò à Regularibus; nam hi relaxant censuras in foro conscientiæ; locus autem et communitas populi non subditur tali foro.—2.º Interdictum personale speciale à jure reservatum relaxari potest à reservante Papa, ab Episcopo et Regularibus privilegiatis in foro conscientiæ. At si reservatum non sit, relaxari potest à proprio sacerdote, sicut de excommunicatione dictum, ex *c. 29. h. t.*, ubi cetera huc accommodari possunt.

258. Q. VIII. *Quid veniat nomine excommunicationis, suspensionis et interdicti, si absolute proferantur?*

R. 1.º Nomine excommunicationis venit major, separans à communiōne fidelium (*c. 59. h. t.*)—2.º Similiter suspensio et interdictum absolute lata, supponunt pro majori et propriè tali (*arg. c. 59.*); nam jus non meminit alicujus minoris suspensionis et interdicti, quæ ob leve peccatum contrahantur.

§. V.

De cessatione a divinis.

259. *Cessatio à divinis*, interdicto affinis est prohibitio ecclesiastica clericis imposita, ut abstineant ab officiis divinis, et sepultura sacra in aliquo loco. Aliter vocatur *suspensio organorum* seu *divina laudis*. Differt ab interdicto; nam interdictum est censura, ferri potest ab homine vel jure, ejusque violator per exercitium ordinis fit irregularis: econtrà cessatio à divinis non est censura, sed mera negatio divinorum officiorum, ejus violator non fit irregularis; nec illa fertur à jure, sed semper ab homine in signum doloris et tristitiæ conceptæ ob gravissimam injuriam Ecclesiæ aut honori divino illatam, ejusque reparationem.

260. Q. I. *Quis, et ob quam causam indicere possit cessationem à divinis?*

R. 1.º Papa, Episcopus et capitulum, Sede vacante, vel alius superior habens jurisdictionem externam, potest indicere cessationem ob aliquod gravissimum delictum notorium notorietate facti cum scandalo, servata debita forma, ut prius moneatur delinquens de satisfactione præstanda, tum ei renuenti instrumentum cessationis cum causæ expressione tradatur: secus cessatio est invalida, et eam indicens tenetur reparare omnia damna inde consequentia, sive parti læsæ, sive ministris Ecclesiæ: ita Bonif. VIII. *c. 8. de off. ordinar. in 6.*—2.º Si capitulum seculare aut regulare, etiam sede plena, vult indicare cessationem, id fieri debet capitulariter, vocatis omnibus, sicut ad negotium electionis: secus decretum cessationis, sicut electionis, est invalidum; *ibid.*

261. Q. II. *Qui sint effectus cessationis à divinis?*

R. 1.º Tres præcipui: privatio div. officiorum, sacramentorum et sepulturæ sacre, quos effectus Papa inferior restringere nequit (*c. 11. de sponsalib.*), excepta *sepultura sacra*; nam hæc non venit nomine divinorum officiorum; adeoque non continetur sub cessatione, nisi ei annexum sit interdictum; et ideo *cit. c. 11.* nulla mentio fit sepulturæ.

2.º Cessatione validè indicta, non possunt à clericis celebrari missæ et alia div. officia, etiam eo modo, quo conceditur tempore interdicti per *c. Alma h. t. in 6.*: ita com. Nam interdictum et cessatio sunt diversa, à quibus non fit illatio; ergò privilegium d. cap., quo conceditur celebratio privata missarum januis clausis, non debet extendi ab interdicto ad cesationem, etiam ob paritatem rationis per *c. 9. de*